

se implicuit. *Atropos, est immutabilis, id est, factum infectum fieri non potest. Postquam periculum accersitum est, iam haeret implicitus.*

IN EQVAM) Per Ocyroen, quae à veloci fluxu nomen Ocyroen habet, ac fingitur mutata in equam, arbitror intelligi fluvium, eumque appellari Graece Hippon. non est enim inusitatum hoc nomen fluvii. nam auctore Strabone, apud Colchos influit in Phasin amnis nomine Hippos. 3.

FAB. XI. FLEBAT, OPEM Q. &c.

De Batto mutato in indicem.

Apollo sive Sol fingitur pastor, ut inquit Iovianus Pontanus, Quod pascat quicquid sub caeli nascitur oris. Apollo cur dicatur pastor.

Battum vicinia tota, &c.

Batti fabula docet, fraude sermonis ac periurio abstinendum. Fuit autem Battus ineptus Poeta, cuius odiosam loquacitatem hic notat. nam in eius versibus eadem verba saepe iterabantur. itaque ad exprimendam battologiam usus est his repetitionibus: Fraude & periurio abstinendum.

--Sub illis

Montibus, inquit erant, & erant sub montibus illis.

Item: & me mihi perfide prodis?

Me mihi prodis, ait?

Battus Poeta ineptus & loquax.

FAB. XII. HINC SE &c,

De Aglauro in lapidem.

Pallas fingitur simul & sapientiae & belli dea, ut significetur, nec sapientiam à potentia, nec potentiam à sapientia seiunctam esse debere: si quidem potentia sine sapientia obest plurimum, & sapientia sine potentia nihil aut parum prodest. Pallas cur dicatur & sapientiae & belli dea.

PROTINVS) Elegans est invidia Prosopopœia, qua invidorum natura, affectus, & mores describuntur.

Prima